



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

In Omnes Totivs Anni Dominicas Æstiuas, à Festo Pentecostes vsque ad
Aduentum

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXIX

Dominica XIV. Post Pentecosten.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56259)

DOMINICA XIV. POST
PENTECOSTEN.

Partitio.

1. De abominando auaritia vitio.
2. De seruitio duobus adducto, quale sit.
3. De seruis duorum Dominorum quales sint.
4. De ammonitione iniquitatis.
5. De nimia temporalium sollicitudine.
6. De Dei cura nostri.

Nemo potest duobus Dominis seruire.
Matth. 6.

FIGURA.

Reg. 5.

Philisthai cum idolum Dagon & arcam
foderis eodem in fano, eadem in ara
collocassent, & duos adorare deos, duobus
seruire Dominis statuisent, indignat⁹ Deus
hoc impedire satagens, & hoc nefas esse o-
stendens: idolum ad terram deiecit, & nouis
quibusdam & inauditis portentis hanc tem-
meritate praesumptionemq; castigauit. My-
sticum quoddam praesagium fuit illius quod
in hodierno legim⁹ Euangelio, in quo Chri-
stus ait, *nemo potest duob. Dominis seruire*, duo
colere numina, Deum & diuitias: sublimis
materia: vobis tamen ipsam exponere con-
tendam, spiritu sancto auxilium suppeditan-
te, & Deipara Virgine filium pro Ecclesia te-
lingui interpellante: ideoq; salutatione il-
lam Gabrielis Archangeli salutemus.

AUE MARIA.

I.
Lib. 1. ad
Huen.

Lib. 1. Offic.

Eloquentia column atque oratorum
princeps Cicero de auaritia sermonem insti-
tuens, ait illam inter caetera vitia primatum
obtinere, atque illa homines imprimis ad o-
mne malum impelli, eamque luxuria affo-
cians, gemina hac peste homines ad peccan-
dum incitari ait, *Duae res, quae maxime impel-
lunt ad maleficium luxuries & auaritia sunt*. In
officiis vero ait, nullum vitium esse eadem
restitutum, praesertim in Principibus & reipubl.
gubernatoribus. Aliis porro eandem colo-

Tom. 2. Pars Aestiva.

ribus depingit Valerius Maximus, *Auari-
tia*, inquit, *est lascentium indagatrix lucrorum,* Lib. 3.
*manifesta praeda auarissima vorago, neque habendo
fruitur felix, & cupiditate habendi miseri-
tima.*

Hac quidem ex Ethicorum Pharetra de-
prompta, at non minus sancti Patres in ean-
dem debacchati sunt. Inprimis autem Chry-
sostomus, *auaritia insatiabilis*, inquit, *ebrie-
tas, omnis iniustitia fomes, auarus communis o-
mnium hostis*. Hieronymus vero quodam in *Super Mar-
loco* ait, *Nihil aliud est auaritia, quam bursa iha.*
*Principum, cellarium Aaronum, rixa paren- in quodam
tum, sibilus hominum.* Magnus vero Grego- *serm.*
rius capitale ipsam *ritium* appellat, quod ce-
terorum vitiorum origo sit & fons. item et-
iam S. Thomas. Apostolus vero ad Timo-
theum ipsam *omnium malorum radicem* dixit.
at maiora Bernard. ipsa est, inquit, fornax, in 2. 2. q. 180.
qua omnia Iesu Christi opprobria, *spata, art. 7.*
clauis, lancea, flagella, *spinæ, crux, mors, ac 1. Tim. 6.*
caetera passionis instrumenta proculsa sunt & *In Cantica.*
efformata.

Basilii Caesareæ Cappadociae Episcopus, *Homil. 1. in
sed inter Graecos Patres obeloquentiam fa- dicescentes.*
cile princeps, qui Athenis vna cum Grego-
rio Theologo & Libanio oratore studiis o-
peram dedit, ac deinde summus Arianorum
hostis effectus, anno a nato Christo cccxc.
discessit, is inquam Basilii auaritiam flam-
mae comparat, quae assiduo in anima aestuat,
& nunquam exstinguitur: mari quoque de-
terioriorem & immaniore dicit, *Mare* inquit,
*terminos habet, nos item leges antiquas no trans-
gr. dicitur, sicut autem auarus nullum circumscri-
bit tempus, nullum terminum nescit sed & in na-
turam, ne ignis imitando omnia comprehendit, o-
mnia pascitur* Mutuatus est hanc compara-
tionem a Propheta Michaa, qui thesauros
iniquitatis, & opes male partas, totidem esse
ignes ait in domo avari aestuantes, qui noctes
atque dies cum corpus tum animam & om-
nes illius fortunas adurunt & vstulant, *Ad-
huc 1. nu in domo impij. thesauri iniquitatis, &
mensura minor ira plena.*

Et quoniam de igne incidit mentio, repe-
rio Augustinum auaritiam inferno compa-
rasse, *Auarus*, inquit, *similis est inferno, infer-*
nus. n. quanto: moris s demorat, nunquam quiescit,

Augustin. e-
pist. 2. a Ben-
Comitem.

11 Satis

Satis est: sic ut si omnes thesauri circumfluxerint in avarum, nunquam satiabitur quod ipsum & in sermonibus asserit, creditq; avarum inferno cuncta deuoranti similem esse, nullum enim vellet, se praeter in mundo superesse, quo ipse vniuersas facultates possideret.

Hom. 26. in
Matth.

Chrylostomus comparationibus, vt alij Patres, rem illustrare volens, auaritiam mari assimilat, *Quemadmodum sine fluctibus mare nunquam conspicitur, sic animos diuitum auarorum, absq; sollicitudine, tremore, turbatione, curis periculis, nunquam reperies, sed antequam priora componant, alia inuaserunt* Adeo vt auaris illud propheticum accommodari queat, *Impij autem quasi mare feruent, quod quiescere non potest.*

Psal. 57.

Lib. de clau-
stro anim.

Hugo de S. Victore calamo suo tetrū hoc vitium descripturus & denigraturus, ait, *superbia clausit diabolo caelum, gula primo parenti abstulit paradysum, auaritia diuiti aperuit infernum.* Horum partem mutuatus est ab Apostolo Paulo, qui Timotheo quā terra perlitis sit auaritia, demonstrare cupiens scripsit, *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & inuitia & nocua, quae mergunt hominem in interitum & perditionem.*

1. Tim. 6.

Vnicus ad furem in furca suspendendum sufficit laqueus: at quos Satan ad damnationis supplicium per auaritiam pertrahit, non vnicō enecantur laqueo, sed sexcentis affectibus, cupiditatibus, passionibus, ambitione, tentationibusq; variis exagitantur, quib. in interitum pertrahuntur, & suo capiti ruina arcessunt.

1. Ioan. 2.

Ioannes Apostolus peccatorum originem & fontem inquirens, à tribus eadem fontibus potissimum emanare dicit, inter quos & auaritiam recenset. *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vita.* Quod vt confirmē, tria in sacris litteris graua iudicia reperio, quae in caelo aduersus tria haec vitia tulit Deus. Primum aduersus Angelorum in caelo superbiam, quod etiamnum perferunt: vnde Psaltes, *Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.* Alterum tempore Noe aduersus lasciuos & carnis corruptione infames, nam tunc *omnis caro corruerat viam suam.*

Psal. 73.

Gen. 6.

Tertium vero circa mundi finem exercebitur in auaros: circa vltima namque tempora illa inualecet, & multorum charitas refrigescet. Tunc scilicet pronuntiabit Iudex. *licet Matth. 25. maledi. si in ignem aeternum, esuristi enim, & non dedisti mihi manducare: sitisti, & non dedisti mihi bibere.* Postremum igitur, quantum hinc colligere est, iudicium aduersus auaros potissimum feretur. Merito itaque exclamem, *o auaritia cane peius & angue detestandam, & execrabilem.*

Quamobrem Isidorus, qui ab hinc mille circiter annis in Ecclesia floruit, circa Heraclij Imp. tempora, merito etiam exclamat, quem iam inde ab Episcopatu Hispalensi clamantem audire videor, *O pestis maligna auaritia semper bonis animis detestanda, quid illa, um, quid inconcussum demittis? Tu genus humanum confundisti, tu discipulum comitem Christi ab Apostolatu deiecisti.*

At nondum hic quiescimus; nam Apostolus ad irimas vitij huius fibras & radices penetrans, auaritiam idolorum seruitutem appellare non dubitauit, quae verba Diuus Thomas exponens, ait non immerito à Paulo auaritiam idolorum seruituti comparari: tunc quippe idololatria exercetur, quando cultus vero Deo & creatori soli debetur, creaturae exhibetur. Duobus autem modis Deo honor & cultus exhibetur primo illum finem vltimum nostrum constituendo, deinde in humeros maiestatis eius omnem spem nostram, confidentiam, & rerum nostrarum pondus coniiciendo: qui vero secus fecerit, & creaturas vt vltimum sibi finem proposuerit, qui in solis creaturis sperat, & praesidium collocat suum, idololatria se reum constituit. Huc porro hominem pertrahit auaritia, vt pote quae creaturam illi velut numen colendum assignat, & in diuitiis omnem spem & summum bonum collocare illum cogit. Vera igitur idolorum seruitus est.

Ceterum idem penitus auaris accidit, Num. 21. quod olim Hebraeis, quibus cum Moyse serpentem aeneum, vt eum intuentes à venenoso viperarum morfu sanarentur, crexisset: tam stolido & insano in illum amore exarserunt, tamque fatuo enim affectu coluerunt, vt non inspexisse contenti, eundem

4 Reg. 17.

dem deinde multis post annis adorarint, & victimas eidem obtulerint. Quo viso, pius rex Ezechias illum in frustra ut fanaticum idololatriæ imperum sifteret, comminuit. Ad eundem modum Deus diuitias & opes temporales nobis cū dedisset, velut vnicum quo à læsione & morsu à primo serpente inflicto sanaremur, remedium, utque eas tantummodo intueremur, & in res ad vitam trahendam necessarias infumeremus; ea tamen nostra vesania est, ut honorem ijs exhibentes, magnoq; in eisdem affectu transuersum actis, eas ut numen aliquod idololatriæ cultu colamus.

Quod igitur Apostolus idololatriam appellat, equidem fatuitatem & stultitiam dicere non verebor: crediderim quippe auaro nullum inueniri posse stultiorem, aut dementiorem: ut qui se enecat, quo opes coaceruet, & coaceruatas asseruet, quo tandem aliquando iisdem fruatur, voluptatem ex iisdem ac fructus percipiat. sed erat profecto. nam id quod sibi beatitudinem & voluptatem allaturum credit, extremam perniciem & exitium tandem causabitur. Quod obscure satis innuit Ecclesiasticus, dicens: *Qui aedificat domum suam impendis alienis, quasi qui colligit lapides suos in hieme.* Id est, Quicumque ex opibus male & per fas & nefas partis superbas & regias extruunt domos, similes sint coaceruantibus in hieme lapides ad domum construendam. nam ut aedificia, quæ in hieme rigescente gelu & frigore adurente, extruuntur, quamprimum dissoluta ad terram concidunt, ita quoque auarorum domus diu subsistere nequeunt, Deo occulta quadam tempestate & procella, propter opes inique partas, ad terram deiiciente. Ceterum loco vulgatae versionis Græcæ legit. *Quasi qui congregat sibi lapides ad tumulum sepulchri sui:* quibus è verbis colligere licet, eos qui palatia, villas & arces ex opibus malis artibus acquisitis aedificant, sepulchrum sibi, mortem, damnationem ac sempiternum exitium eodem tempore constitutur.

Quicumque manna in crastinum asseruabant, & plusquam satis erat colligebant, in vermes illud & putredinem videbat re-

ductum. Idem omnino auaris & voluptuarijs accidit, ut Chrysostomus aduertit: quo enim plus opibus coaceruandis, & voluptatibus consecrandis & ultra quam licitum sit incumbunt, quo & maior illis calamitas, ruina, & perniciēs accidere solet, & quod illis datum erat, ut, si modice & moderate vterentur, instar mannae iucundum esset nimia cupiditate ac iusto Dei iudicio, mortiferum sit ac noxium, & damnationem æternam adfert.

Ne quis autem me ut avarum & tenacem in exordio hoc de auaritia culpet, longius id ipsum æquo produxi, ut hinc vobis spes fiat, in ipsa Euangelij expositione in quo non nisi de mammonæ, de diuitijs iniquitatis, de auaritia, & inanibus mundi sollicitudinibus sermo est, me non avarum sed liberalem & prodigum futurum. Materiam format Matthæus dicens, *Nemo potest duobus dominis seruire: & non potest Deo seruire & mammonæ.* Circa hanc primam exponam quis sit Deo cultus exhibendus, deinde euidenter ostendam, in ipso solo eiusque prouidentia spem esse colloendam, & ex utroque ad oculum demonstrabo quam sit graue malum auaritia, quamque detestandum.

Dominus igitur in Euangelio denotare volens, vni esse seruiendum DEO, diuitias contemnendas, ænigmaticis id verbis designare voluit, fieri scilicet non posse ut quis duobus seruiat dominis. Per duos hosce dominos signari credit DEVM & diabolum Augustinus, quibus seruire simul nemo potest: qui vero id ipsum præstare voluerit, duplex se habere cor, & duas ingredi velle vias ostendit. Quod præterquam quod impossibile sit, maledictionem quoque non mediocrem adferre solet: Ita namque loquitur Ecclesiasticus: *Va duplici corde, labijs sceleratis, & peccatori ingrediens terram duabus vijs:* hoc quidem re ipsa fieri nequit, optari tamen à multis solet.

Quærit Morales Philosophi, & cum illis Insignis etiam D. Thomas, vtrū plures homo habere Philosophorum sit dominis? & dicunt, quod non, verbis postquam quæstio. *Nemo potest duobus* 1. p. q. 1. art. 3.

11 2 domi-

Num. 11.
Exod. 16.

II.
Materiæ
propositio.

Eccles. 21.

Deut. 2. Dominus seruire, & legi quæ in Deuteronomio legitur, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruias.* Amarunt quidem socios gentiliū Dei, & soli esse noluerunt, an non idolum Dagon arcam Dei Israel in sanum suum, & ad latus eadem in ara admisit? sed arca Dei Dagonem non tulit, sed ad terram comminutum deiecit.

Exod. 14. 16. Non prius manna cælo Israelitis descendit, quam farina quas ex Ægypto tulerant, defecissent: quo mystico denotabatur, fieri non posse, ut manna diuinum, rerumq; cælestium dulce dñe quis percipiat, quamdiu voluptates; delicias, quæ mundi huius farine sunt, in animo detinet, vel designatū hic fuit, quamdiu seruitus & peccati affectus in homine perseverat, cum Deo seruire, eiusque gratiam & benedictionem promereri nō potest, iuxta sententiam illam Christi. *Nemo potest duobus dominis seruire.*

Deo & mundo seruire nemo potest.

Nat. hist. lib. 10. c. 1. Nouum quoddam aquila genus.

Aquila quoddam genus est, ut ait Plinius, quæ in aquis prædam uenitur, sed quæ animi robore & generositate non sit cum ceteris aquilis comparanda, eo quod à coruo superetur. Nec ipsa forma reliquas aquilas refert, vnum quippe pedem habet è continua membrana instar anseris, cuius adnuculo aquis innatat, alium vero ad instar aliarum aquilarum aduncum quo se defendit, & prædam rapit. Prodigiosa huius auis naturam propius intuitus, illos huic esse censeo per similes, qui duobus seruire dominis contendunt, Deo quidem, cælestia desiderando: diabolo uero terrenis inhando: hoc scilicet est habere pedem aquilinū & anserinum, id est, affectum erga spiritualia, & simul terrena fouere: hoc est, in terra simul & aqua uiuere, in mundo quidem cum carnalibus & lasciuis in bonorum fortunæ torrentibus natitare, & cum piis & spiritualibus sublime euolare, ut cælestium rerum prædam consequantur. at hanc uirtute degenerando: & facile à diabolo, teterrimo illo coruo, superantur.

Qui Deo & mundo seruire volunt Satyris & Hippocentauris similes. vno in corpore præferre formas, vnam qui-

dem honestam, & modestam, alteram uero lasciuam & salacem: ideoque monstra illos esse putat antiquitas. His confero illos, qui vno in corde duos affectus & amores penitus inter se contrarios concludere conantur: seruire namque Deo & simul diabolo, est Satyrum & Hippocentaurum aliquem agere, est ab vna parte hominē & ex altera equum esse: hinc autem ratione carere & illinc ratione præditum esse, monstruosum est & prodigio simile.

Inter ceteras quas Deus reiecit ut immundas aues, fuit Vespertilio: & quamnam putatis ob causam? quod nimirum biformis sit, habet quidem alas auis instar, serpens quoque esse videtur cum pectus implume ostendit. Illi uero nycticoracem & vespertilionem imitantur, qui volucres & reptiles similes esse gestiunt, qui autē per terram serpente, delicias consectando: & in altum euolare, cælestia contemplando, conantur, reprobari à Deo solent: nam. *Nemo potest duobus dominis seruire.*

Cum Darius Persarum rex Alexandro dimidiam regni sui partem offerret, eumque in regimini socium admitteret, mox ille superbia & regnandi cupiditate flagrans respondit, non duos ferre mundos soles, nec Reges regnum duos potest. Regium hocce apophthegma proposito meo adaptans, vno in corde non posse duos subsistere amores & affectus dico, vnum quo Deo, alterum quo mundo seruiatur.

Noluit olim Dominus vnum agrum diuerso semine conseri, noluit in boue & asino sub eodem copulatis iugo arari, noluit vestimenta gestari, quæ ex lino lanaque contexta essent. *Non seres, inquit, vineam tuam altero semine, non arabis in boue simul & asino, non indueris vestimento quod ex lana linoque contextum est.* Illi uero agrum suum diuerso semine ferunt, qui anime suæ & Dei & mundi amorem includunt: illi quoque in boue & asino arant, qui duos diuersos affectus fouent, cælum nan cisci, & simul terrenas facultates acquirere contententes: illi denique vestimento diuersicolori & lino simul & laneo vestiuntur, qui affectus istos quoddam rerum terrenarum appetitu, quæsi lana deno-

denotat, & celestium desiderio, quod linum indicat, induunt. qui vero hoc facere neglexerit, diuinis mandatis refragatur, & euangelicæ suasioni, in qua Christus ait, *Nemo potest duobus dominis seruire.*

Ips. 4.

In libro Iosue hanc à Deo publicatam constitutionem reperio. *Nun. timete Dominum, & seruite ei perfecto corde, atque verissimo. & auferte deos alienos, quibus seruiertunt patres vestri in Mesopotamia, & in Ægypto, ac seruite Domino: quam legem populus se seruaturum pollicitus, quamprimum respondit: Absit à nobis relinquamus Dominum, & seruiamus diis alienis. Illi vero in hanc legem impingunt, & Dei cultum relinquunt, qui Dei honore contempto, & affectu erga res sacras exuto: vanitates & terrenas sollicitudines, quæ velut dii quidam alieni & mundi idola sunt, consecrantur.*

Comparationes.

Fieri non potest, vt vno quis oculo cælum & altero terram intueatur: ita penitus impossibile est vno eodemque corde Deum & mundum diligere.

III. Eccl. 8.

Inter cæteras Ægypti plagas, fuit illa ranarum importuna coarctio, per agros inundantium: de qua dicebat, *Percussiam omnes terminos tuos ranis:* de quibus cecinit Psalmista.

Psal. 104.

Edidit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum. Ranæ immunda sunt animalia, in lacis palustribus victrantes, sed quæ tam in aqua, quam in terra viuunt. Vna etiam è maximis orbis plagis & calamitatibus est, videre in mundo immundos & instar ranarum cæno gaudentes, qui in carnis voluptatibus instar piscium natant, & in terra poenitentia instar vitæ spiritualium, qui animalia sunt ratione prædita, ambulare gestant. Sed sciendum est neminem duob. posse seruire dominis.

Cum duo domini diuersi inter se ingenij sunt nec eiusdem naturæ, eodem vtique affectu & amore seruire nemo potest. Si nimirum vnus silentij studiosus sit, alter garrulus & loquax: si hic in risum pronus sit, & ille assidue lachrymetur: si hic ludere delectetur, ille pertractandis negotijs. hic otio, ille negotio, quis vtique ad vtrum & iuxta ingenij qualitatem seruiat? quanta porro duos hos inter magistros, Deum & mundum, differen-

tia est ille liberalis est, hic auarus & tenax: ille misericors, hic crudelitate infamis: ille semper dare, hic semper accipere contendit: fieri itaq; non potest, vt quis duobus seruiat dominis.

Ad hæc qui Deo simul & mundo serui- *1. Reg. 30.* re contendunt, Samaritanis sunt similes, qui post decem tribuum captiuitatem, vt Scriptura testatur, vna cum Deo cæli idola alienigenarum, inter quos versabantur, adorare cœperunt: similes etiam Philisthæis, qui arcam Dei captam iuxta Deum suum Dagon collo carunt, eodem Deum verum & idolum honore afficientes, nemo enim potest duob. dominis seruire.

Ecquidam Deus bone domini sunt caro, *Gen. 31.* mundus, & diabolus, quam graui eorum mandata? quæ tamen obseruantibus nulla reddetur merces. Patriarcha Iacob septennio focero suo Labano inseruiuit, & iterum septennio vt Rachaelis amplexibus potiretur, quæ nullum ei solatium, gaudiumue: sed sexcentas calamitates & varia molestiarum genera attulit: erat siquidem sterilis. Lia vero, quam non ambiuit, atque vltro ei oblata fuit, varia eum beauit prole, & propter eam benedictus fuit. O miseria humana! ecce quod minori paratur labore, maiora afferre solet emolumenta: & quod magnis laboribus & sudoribus consistat, raro solet vtile esse. heu! Non septennio tantum, aut duplicato septennio, sed toto vitæ tempore mundo & diabolo vt seruiamus, sudamus, quo honores ab ipse, voluptates & diuitias aliquando obtineamus: & interea non nisi graues in hac vita molestias ac difficultates, in altera vero tormenta & confusionem sempiternam nanciscimur: virtutes vero, quas facili negotio parare possumus, quæque adeo sunt vtilles, & tantum afferre solatiij & iucunditatis solent, contemnimus, & velut friuolas negligimus.

Mundus, caro, diabolus duci illi Amalechitæ sunt perfimiles qui cum seruum haberet, qui fidele ei toto vitæ tempore in annis obsequium ostenderat, eundem mox vt male habere cœpit, in via deseruit. audite vt de hac domini ingratitude ille expostulet. *Puer 1. Reg. 30.*

Ægyptius. ego sum. & seruus viri Amalechitæ.

14. 3.

derelict.

dereliquit autem me dominus meus, quia agrotare coepi nudus servitus. In nunc, & diabolo, mundo & carni toto vitæ tempore seruito: qui domini sunt adeo ingrati, vt ad primâ quæ ingruerit afflictio, te derelicturi sint, faciem auersuri. At longe melior dominus ipse Deus est: nunquã enim deserit eos qui fideliter illi obsequuntur, sed solus sibi obsequium postulat, quia nemo potest duobus dominis seruire.

Lib. contra Hermogen.

Gen. 1. & 2.

Non prius Deus in Sacris literis Dominus dictus est, vt obseruat Tertullianus, quam postquam hominem jam condidisset: semper enim ante Deus est appellatus, vt in principio Genesios. In principio creauit Deus coelum & terram & paulo post, Dixitque Deus Fiat lux. At homine jam creato, domini quoque titulum assumpsit, formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terra. Cuius rei rationem reddens Tertullianus, ait, hoc consulo factum & ostendere Deum voluisse, se dominum in ceteras res inferiores nihili facere, at in solũ hominem velle dominari. Vel potius vt homo nullum alium dominum agnoscat, quam solum Deum, qui postquam illum jam condidisset dominum quoque; in illum vindicauit: ac proinde nullum alium sibi dominum quereret, aut alienum quemdam agnosceret, iuxta Euangelium: Nemo potest duobus dominis seruire.

Peccator mancipium est multis dominis subditum.

Ioan. 8.

1/a. 49.

Tot peccator heros quot peccata habet.

Si duobus dominis seruire nemo potest, quomodo igitur Deo ille seruiet, qui plurimis est subditus, qui viginti, ceterum, imo mille dominos agnoscit? Plurimos enim reperire est, qui nõ auaritiæ modo student, sed ambitioni, quin etiam vindictæ, appetitui, aliisque peccatis: nam quot in homine passiones & vitia sunt, tot quoque dominos & heros se habere credat, quibus vt vile aliquod mancipium seruit. nam, vt Dominus in Euangelio ait, qui facit peccatum, seruus est peccati, adeo, vt peccator tot dominos habeat & tyrannos, quot peccata humeris imposita: in quem trahi possunt verba illa Prophetæ. Hac dicit Dominus ad contumptibilem animam, ad abominatam gentem, ad seruum dominorum.

Sententiæ meæ suffragatus Augustinus tradit, Peccatorem tot esse seruum dominorum, quot peccatorum. quo referam etiam scõmma illud

Diogenis Cynici, qui Alexandro de totius orbis dominio imperioque gloriantem olim ait, Nequaquam, O Alexander es Dominus, sed seruorum meorum seruus. Id est, Vitia tibi imperant & ipse vitij: & quæ mihi instar seruorũ obsequuntur, tibi velut domini imperitant, itaque seruorum meorum seruus dici mereris. Post Philosophicum hunc sacrasum adungere etiam libet sententiã propheticã, Seruus es diu alienis die ac nocte, qui non dabunt vobis requiem Concludere igitur possumus, fieri non posse vt quis duobus seruiat dominis, Deo & mammonæ: Non potestis Deo seruire & mammonæ.

Mammona Syriaco idiomate diuitias significare: atque hoc præsupposito non dixit Christus, non potestis diuites esse, & Deo seruire: plutimi enim & diuites fuere & Deo seruiunt, vt Abraham, Iacob, Iob, Tobias, & sexcenti alij, sed nõ potestis seruire mammonæ, diuitiã enim homini seruire, non vero diuitijs homo debet. Hoc David rex auarorum sortem deplorãs ait, Dormierunt somnum suum, & nihil intulerunt in manibus suis omnis viri diuitiarum, vt viros nominat diuitiarum, quod diuitiã illis dominarentur, non vero ipsi diuitijs, sed ipsã subiecti essent.

Quicumque milites Gedeonis proni, & curuato genu e flumine biberunt, reiecti sunt: qui vero aquas manibus exceptas bibere, & sicut solent canes lambere, cursim & obiter, velut generosi & strenui ab alijs segregati sũt. Qui manu & lingua lambebant aquas, sicut solent carnes lambere, separabit eos scõrum: qui autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt. Denotare hoc volebat, illos a Deo reijci & reprobari, qui in terrã proni diuitias immodice bibunt: at qui mediocri erga easdem affectu seruantur, non nisi obiter gustant, ad vitæ scilicet necessaria, easque manu, vt domini, comprehendunt, a Deo electos & sequestros esse, vt cum Iesu Christo illorum duce mundum expugnent. Quo respiciens Psalmographus aiebat. Diuitia si affluant, nolite cor apponere.

Ille vero diuitijs cor apponit, qui inordinato erga easdem affectu fertur, & ijs velut domino obsequitur, eas vt deos & idola colit. In eius rei figurã legim⁹ in Exodo, Israelitas,

IV.

Diuitiã homini seruire debent, non homo diuitijs.

Psal. 75.

Iudic. 7.

Psal. 62.

Exod. 32.

tas, spolijs & opibus Ægypti ditatos, ex auro & argento quod secum asportauerant, vitulos aureos confasse, eosque vt numen aliquod adorasse. Vnde conijcere licet, auaros plurimas à Deo facultates acceptas non recte impensuros, sed ipsidem velur idolis seruituros, quod præfagit Propheta dicens: *Argentum suum & aurum fecerunt idola, vt intirent.* Sed quid? nemo Deo & simul mammonæ seruire potest.

06.8.

Matth. 27.

Iudas Ischariotes in Apostolatu viuere, & simul oculos regere cum vellet, Deo inquam seruire & mammonæ, cecidit, sibiq; exitum & interitum attulit. quo mystice designatum est, illos qui vitam Apostolicam viuere proponunt, & diuitijs paradisi nihilominus incumbunt, errare, & impingere in sententiam illam Christi, *Non potestis Deo seruire & mammonæ.*

4. Reg. 5.

Giezi Elisæi Prophetæ puer, sed auaritiæ ardore flagrans, cum fatageret & Prophetæ seruire & Naamanis munera recipere, lepra turpissima percussus fuit, quæ & ad posteros successiue pertransiit. Sed & lepra Naaman adharebit tibi, & semini tuo usque in sempiternum. Vnde colligere est, eos qui arbitrantur posse Deo Prophetarum regi se seruire, & interea auaritiæ studere, mundi; thesauros coaccruare, sæpenuero peccati lepra insci, nec illos modo, sed & filios & adeo vniuersam familiam.

Apoc. 17.

Mulier illa Apocalypseo, quæ manu vasa præferrebat aurea, & varijs ornata erat gemmis & monilibus, meretrix erat, & omnis fornicationis mater, vinoque suo reges terræ inebriauerat, & in peccatum pertraxerat. Et mulier erat circumdata purpura & coccino, & inaurata auro, & apud pretioso, & margaritis, habens poculum aureum in manu sua plenum abominatione & immunditia fornicationis eius. Ipsa vera imago est auaritiæ, quæ quamuis sit aurea, mater fornicationum & scelerum omniū parens est & abominationum & sordium cibaca, quæ maximos quosque & potentissimos in mundo decipit. Vel potius mysterium est, quo docemur, animam eorum qui manus & cor auro & argento plenū habent, & affectu indebito erga diuitias feruntur, pellicem ef-

se, mundi concubinam, Deoque fidem non seruare: quod vt dicam ipsa me Euangelij verba inducunt: *Non potestis seruire Deo & mammonæ.*

4. Reg. 25.

Diuitiæ & thesaurus templi Salomonici, quod miraculum erat orbis, & locus sacrificijs Iudaorum destinatus, causa fuit cur euerteretur & diriperetur: nisi enim diuitiæ sacrario permittæ fuissent, nunquam Chaldæi aduersus ipsum bellum suscepissent. Nos autem templum Spiritus S. sumus, vt Apostolus testatur. *Nescitis quia templum Dei estis?* cor vero nostrum altare est, qui vero credit, posse se suum erga diuitias affectum cum Dei amore hic constituere, sæpe sibi interitum & animæ damnationem adfert. Virtus enim apud thesaurum secunda non est, & deuotio ac pietas discrimini exposita est inter diuitias, *Non potestis Deo seruire & mammonæ.* Ita nos id docet Dei filius, quin & vetat de negotijs sæcularib. nos esse sollicitos, & de nullo præterquam de regno cœlesti nos laborare vult. *Nolite solliciti esse:* & non extra propositum, nam hoc instar pontis mihi futurum est per quod ad alteram cœcionis partem deueniam.

1. Cor. 3.

V.

Christus igitur cum velut certissimum proposuisset, neminem mortalium duobus posse dominis inseruire, præsertim cū diuersi sunt ingenij & voluntatis, & res inter se pugnantibus præcipiunt; mox subiit epiphonema illud: *Non potestis seruire Deo & mammonæ* deinde subnectit, non esse de rebus terrenis laborandum, nullamq; sollicitudinem de cibo, potu, veste, ad quæ potissimum comparanda diuitiæ datæ sunt, habendam: quantum enim curæ rebus corporalibus impendimus, tantum animæ detrahimus; quamobrem *Nolite solliciti esse.*

Israel cum in desertum ad Deo cœli sacrificia & libamina offerenda se conferre decreuisset Pharaon obstaculo futurus & impedimento, dicebat. *Otiatur, & ideo hæc loquitur:* *plures reddat lateres, paleas etiam quarat, vt sic ei non vacet alia cogitare.* Ad eundem etiam modū Christiane, sæpe quidē Deo seruire cōstituis, sed diabolus inuidens quamprimū impedit dicens, Hic otio abundat, ideo parādū ei quod agat, negotijs opprimēdus est, sollicitudine.

Exod. 5.

Diabolus
rebus mundi nos implicat vt à Dei cultu nos auocet

tudine rerum mundanarum obruendus, ne de Deo amplius cogitare queat, at longe aliter Christus, qui ait: *Nolite solliciti esse: & alibi: uid te ergo ne grauentur c rda vestra crapula & ebrietate, & cura huius seculi.*

Matth. 24.

Simile.

An non stolidus ille dicendus foret ac demens, qui montem cellissimum ascensus, graue in humeros onus susciperet? an non omnes, nihil eum minus quam de monte descendendo cogitare dicerent? Idem omnino facere censendus est Christianus: si enim ad caelestia & sublimia vocatus, curis & sollicitudinibus rerum terrenarum se implicet, aperte demonstrat, de caelo ne hilum se laborare, ac ne somnare quidem.

Isa. 9.

Christus fuit magnus consiliarius

Inter cetera, quibus Isaias Messiam venturum decorauit nomina, consiliarium illum vocauit admirabilem, quo indicauit, illum dum in orbem venturus esset, bene hominibus consulturum, nullum porro consilium illius reperio salutaris, quam quod hodierna die in Euangelio legimus, in quo omnibus consulit, diuitias vt contemnant, rebus & negotijs mundanis se eximant, auaritiam imprimis, velut originem & omnis sollicitudinis fontem fugiant. Nec etiam in toto Euangelio sublimiorem reperire est philosophiam, & quoniam auaritia sicut vitiorum omnium mater est, ita sollicitudinum omnium nutrix; hanc ideo ab animis nostris fugare conatur, vt sublata semel radice, vitiorum & sollicitudinis rami non excrecant; quam obrem *nolite solliciti esse.*

Auaritia Pandora est

Et sane auaritia Pandora est, quae malis omnibus januam aperit, & magnam in orbem confusionem inuehit. Crudelis quaedam Iesabel est, quae vt aliena per nefas abripiat bona, fortunamque suam adaugeat, crudeles Achabos ad caedem & innocui sanguinis profusionem inuitat. Est mula illa Abialomi quae regni adipiscendi spem suggerit, filios in patrem armat, deinde in arbore temerariae ambitionis suspensos & transfossos deserit. Est pestilens illa Megeza, quae Dei filios ad summa montium euehit juga, e quibus omnia regna mundi ostendit, illos exstimulat vt genibus in terram prostratis se adorent; illa denique est, quae auribus illorum occidit, *Hae om-*

3. Reg. 12.

2. Reg. 18.

Matth. 4.

nia tibi dabo si caedes adoraueris me. O infelicem auaritiam! O diuitias detestabiles!

Ita porro exclamare libuit, quod Christus *Luc. 16.* sapientia illa aeterna, in Euangelio illas mammonam iniquitatis appellauit. S. Lucas vero *1. Tim. 6.* fures & latrones cordis humani vocare non dubitat, Apostolus laqueos & retia diaboli. Poeta autem omnis mali originem & fontem:

Eff. diuntur opes irritamenta malorum. Ouid. 1. ma.

Equidem addo, illas vastas incantatrices esse, & raptrices, qui cor, animam, iudicium & cogitationes nobis diripiunt, furantur.

Apellem, vt refert Rosinus, pictorum illum Deum, cum aeger lecto decumberet, Archesilaus rex inuisit: qui cum cervical se ferrigere simularer, clanculo magnam auri vim subijecit. Quo facto abiit: puer vero Apellis lectum cum sternere vellet, viso auro exclamare cepit, se crumenam auro turgidam reperisse, Tace, inquit Apelles, ecce turum Regis, qui mea surripuit. Nequaquam, ait subridendo famulus, forsitan Princeps affectu aliquo singulari hanc tibi pecuniam dedit; quo necessitatibus tuis succurreret, & tu tibi illum surripuisse ais. Bene dixi, inquit ille. His namque donis Archesilaus animum mihi & cor surripuit. Annon significare volebat, auaritiam raptricem esse, & opes admodum noxias?

Rosin lib. de Princip. Corij. 1. 15.

Apophth. Apellis.

Deus postquam aues & pisces condidisset, *Gen. 1.* benedixit eis, sed bestias terrae non legitur benedixisse. An te Deus ter maxime, animalia terrae magis ad iracundiam prouocant, quam volucres aut pisces, quod tuam illis benedictionem subtrahas? sed magnum hic latitat mysterium. Docere quippe voluit Deus, eos qui benedictionem illam finalem accipere gestiunt, *Venite Benediciti Patris mei,* volare & natate debere, non vero in terra agere. Negat enim benedictionem illis Deus, qui bestiarum instar in terra viuunt, & cor suum rebus terrestribus & mundanis affigunt. Eia igitur anima mea in contemplando instar auis sublimis euola. in amaris contritionis vudis piscis instar euagare, natita inquam in mari & aquis poenitentiae, & in primis fugito auaritiam.

Vti terra e qua aurum eruitur, nullu alium *Animas 1.* producit

producit fructum, non segetem, non vineam profert: ita quoque anima auaritia flagrans, & auro inhians, ad nihil aliud vtilis est, misericordiam nescit, iustitiam ignorat, & in bonis operibus producendis sterilis & infecunda, aliud non cogitat quam fordes, aurum, & auaritiam.

Dixero igitur, diuitias ex se nec bonas nec malas esse, sed adiaphoras, & indifferentes: sed hoc ausim dicere, bonis & qui cor ad Deum directum habent, quique diuitiis adulterando non abutuntur, & plures easdem non faciunt, quam reuera fieri debent, non obesse: sed maximopere prodesse: at improbis, quorum cor procul a Deo est, quique cum diuitiis ad ulterium committunt, easdem perditae amando, plurimum officere. Mulier apud Iudaeos adulterij accusata, cum res non usque adeo constaret, in templum adducebatur, atque ibi coram plurimis certum quoddam amaræ potionis genus, ex aqua compositum, quam sacerdos maledictis & diris excrebatur, & cui cinerem & terram permiscebat, illi ad bibendum offerebatur. Si mulier accusata, innocens erat, fidemque inuiolatam marito custodisset, nullum ei ex potione damnum, aut læsio imminere, at si adulterij rea foret, quamprimū quasi hausta cicuta emoriebatur, omnibus ut adulteram eam habentibus. Allegorice hoc exponens, dico aquam illam amaratam pulueri immixtam, veram diuitiarum imaginem esse, aquæ siquidem sunt, quod fluxæ sunt, & in momento pertransiunt: amaræ, quod labore & sudore parentur, cum dolore vero amittantur: cineribus vero permixtae sunt, quod earum caput, aurum inquam & argentum, quod avari tantopere concupiscunt, non nisi terra sit, puluis, & cineres: mulier vero, cuius sit periculum, anima est, quæ si adultera non est, & Christo sponso suo fidem seruauit, id est, si in bono statu est, quamuis ex hac aqua degustet, tamen debite diuitiis uti norit, & eo quo Patriarchæ modo easdem adhibeat, nullum omnino detrimentum patietur, at si aduleterium commiserit, & inordinato in diuitias affectu feratur, plusquam Deum easdem diligendo, proculdubio maximopere nocebunt. *Nolite ergo solliciti esse.*

Deus igitur hanc, ut nobis sollicitudinem

Tom. 2. Pars Æstiuæ.

eriperet, & à mundi curis sequestraret, in *Leuit. 7.* vitico olim præcepit, *Victima carnes eadem De crastino comedentur die, nec remanebit ex eis quicquam non est lausque mane.* Quo præcepto indicare voluit laborandum. Deus, non esse de futuro magno opere laborandum, sed diuinam prouidentiam illius manū in necessitatibus nostris auxiliari posse sperandum. Idem omnino in mannae collectione obseruatum voluit, *Dixitque Moyses ad eos, Exod. 16. nullus relinquat ex eo in mane: qui non auerunt Manna eum sed dimiserunt quidam ex eis quod mane, & quotidie sciat. re cepit vermibus atque corruptur.* Hic iterum colligebamur, non esse de vitæ huius necessariis tur. vsque adeo laborandum, nihilque in futurum seruandum: sed tantum escæ nobis paremus, quantum in diem sufficiat: qui vero plura concacruare, & in aliquot annos sibi prospicere gestiunt, diuinam legem infringunt simulque se periculo exponunt, ne conquisita & parua pereant & corruptantur.

Ipsæ etiam Christus Lucae XI. auditoribus *Luc. 11.* certam viuendi regulam præscribens, ad quæ actiones suas dirigerent, inter alia docuit, ut panem & dimensum quodammodo præscriptum à Deo peterent. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Noluit nos in annum panis concacruere: nec in mensem, nec in septimanam a Deo quidem, sed in diem præsentem ut diffidentius & auaritiam à nobis profligaret: simulque edocuit, credere nos oportere, ea quæ in manu illius sunt, certiora esse quam quæ manu nostra continemus: & ut melius nos hoc edoceret, in Euangelio clamat, *Nolite solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur: hæc enim omnia gentes inquirunt.*

Christus igitur magnus ille mundi doctor, insignes rationes vt omnem nobis diffidentiam tolletet, & nimiram erga res mundi sollicitudinem, pulcherrimas depromit rationes, quarum hæc prima est, *Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam vestimentum?* Id est, qui maiora dare potest, poterit etiam minora, qui liberaliorem se in maioribus ac regnicis rebus ostendit, in minoribus se avarum non ostendet. Id est, de dicit tibi Deus corpus tot egregijs partibus, membris, sensibus & facultatibus donatum, atque hoc nomine gratias illi persolue: magis vero sibi te deuinxit,

K k ani-

animam ad sui imaginem conditam, tot dotibus & perfectionibus dotatam, infundendo. Cum igitur tot tantaque in te beneficia contulerit, ane credibile, vitæ eum tibi alimenta qua homini cum bestis communia sunt, denegaturum?

Nonne anima plus quam esca? Id est, Is qui animam & corpus condidit, eadem etiam reficere poterit, mediaque suggeret quib. subsistant, & in vigore conseruetur: quod enim semel condit, ipsum in esse conseruare quam maxime conatur: vnde Philosophicum illud axioma, *Qui dat esse, dat & quæ sequuntur ad esse, id est, quui magnum quid dat, minus etiam dabit.*

Axioma philosophicum.

II. Ratio.

Secunda, qua auaritiam expugnat, quaq; diffidentiam tollere conatur Christus, ratio procedit à prouidentia, quam habet auium: *Respicite volatilia caeli, qua non serunt, neq; metunt, neque congregant in horrea, & pater vester caelestis pascit illa: nonne vos pluris estis?* O prouidentiam & philosophiam admirabilem! Si igitur Deus prouidentia sua omnes in genere creaturas educat, alit, sustentat: annò potiori ratione hominis curam geret, eiq; necessaria subministrabit homini inquam, quæ ad imaginem suâ condidit, qui omnium animantium caput ac princeps, mundi rex, & vniuersæ familiæ huius rector ac superintendens.

Sollicitus est Deus de auibus & bestiis.

Respicite volatilia caeli. Nonnulli per hæc volatilia Angelos intellexerunt, vt ait in Commentario suo Hieronymus. Hilarius autem demonas hæc denotari ait, & forsitan allegorice: sed litteram hic sequi satius est, & per volatilia, non longe petita interpretatione aut expositione, intelligere aues per aera volitantes: nisi aliud quid intelligendo, argumentum Christi elidere, illius vim tollere & penitus euertere sententiam velimus.

Tres rationes, cur Dominus minus argumentatur ab auibus.

I.

Respicite volatilia caeli, & in terram definit, *Considerate lilia agris.* Secundo, quod cum in suprema aeris regione habitent, & ab esca longius remota sint, ipse nihilominus easdem enutriet.

II.

Tertio, quod quadrupes animaliaque in terra

vicitantia, maiorem plerumq; ad necessaria comparanda industriam à natura naçta sunt. Hinc ad diligentiam & prouidentiam sedulam pigros inuitas Sapiens ad fornicam eosdem mittit, *Formica, inquit, populus infirmus qui praparat in messe cibum sibi.*

Poterat vt ait hic Chrylost. Deus in exemplum proferre Mosem, Eliam, Ioannem Baptistam, erga quos prouidentiam suam mirabili quadam ratione declarauit. Moses namque quadraginta dierum spacio, naturæ leges eludens, sine vilo prius alimento, ieiunus permanit. Elias à coruo pascus est, aue voracissima, & aliarum auium raptrice. Ioannes Zachariæ filius viginti quinque annis in deserto sine victu aut vestitu permanit, à diuina tamen prouidentia non fuit derelictus. Sed hisce sublimioribus relictis exemplis demonstrare ad oculum voluit, quantam etiam rerum minimarum & exilium curam & sollicitudinem habeat.

Prou. 6. 38
Hom. 11.

Exod. 24.

3. Reg. 17.

Mat. 3.

III.

Tertia, qua diffidentiam euerit, & Dei curam adstiuere conatur ratio, hisce continetur verbis, *Quis vestrum cogitans potest adigere ad staturam suam cubitum suum?* Id est: Tam late se extendit diuina prouidentia, tamque ampla eius actiuitatis sphaera est, vt, quemadmodum nemo, etiam maxima adhibita industria & sollicitudine, corporis sui dimensionem, quam summus ille faber statuit, augere vel minuere nequit: ita quoq; diuitiarum ac terrenarum facultatum defectus aut abundantia, ab æterna illa prouidentia ita firmiter dependeat, vt illa inuita & reluctante, omnis cura nostra vana sit & sollicitudo inanis. Hoc perspectum habens Apostolorum Princeps Petrus, omnes in genere homines adhortatur, vt omnem sui curam in Deum coniciant, qui maximam nostri rationem habet, & nos vt clientes suos liberalissime educat ac sustentat. *Quoniam ipsi, inquit, cura est de vobis* Ipse vero Psalmographus omnem nos curam & cogitatu in diuinis manibus resignare cupit dicens: *Inclina super Deum cogitatum suum, & ipse te enutriet.* Id est, Maiorem nostri rationem habet Omnipotens, quam nos ipsi fortasse.

Mal. 3.
Iocur.

Quis autem vestrum. Obscurior hæc est ratio, & ad intelligendum difficilior, quæ & SS.

In Com-
ment.

Patres non mediocriter torfit, S. Hieronym. August. Beda, Strabo, credunt sicut Dominus antea demonstrat animam cibo potior rem esse, *Nonna anima plus est quam esca?* ita iam probare velle, corpus esse vestimento potius, & Deum, qui corporis staturam dedit, de veste comoda quoque illi prouidendum: nos autem, qui corpori nihil adiungere, nihil etiam demere possumus, nullum quoque illi parare vestimentum posse, si Deus quod sibi visum fuerit, non concesserit.

Expositio
Chrysol.
Euthym.
Theophyl.

S. Ioan. Chrysol. Euthym. Theophyl. magni apud Græcos nominis hoc exponit modo: si comedendo bibendoque quantum volueris, ne vel cubitum ad corporis longitudinem adiungere posses, nisi Deus cibum in substantiam, & incrementum conuerteret: cur igitur ita de cibo potius; es anxius qui ne bestijs quidem denegatus est? Verosimilis quidem hæc opinio, sed non vera, nam è XII. Luc. c. manifestum est, non esse hunc genuinum horum verborum sensum.

Maldona-
tus in hunc
locum.

Maldonatus autem dicit, & vere quidem, cuius sententiæ libens accedo, Christum à minori ad maius esse argumentatum. Minor est igitur primi argumenti, quam hætenus non exposuerat, sed tacuerat, probat. Ita namque argumentatus erat, *nima plus est quam esca,* & corpus plus quam vestimentum: atque non tibi tu, sed ipse Deus, animam & corpus concessit, Dei igitur est & non tuum de veste & esca tua sollicitum esse. Iam vero alteram partem minoris suæ probat: At animam & corpus facere non potes, hoc modo, *Quis autem vestrum cogit. &c.* Id est, ne cubitum quidem vnum ad staturam tuam posses adiungere: multo minus, totum quod ad omnipotentem artificem spectat.

VI.

Quarta ratio, quam ad solitudinem temporalium euellendam, & diuinam prouidentiam stabilendam Deus adhibet, hæc est, *Considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant, neque nent: dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est, sicut vnum ex istis.* Si vero Sapiens hic dispensator tanto decore & ornatu vestiatur flores agri, qui hodie patulis folijs se ostentant, & cras emoriuntur, qui mane virent, & vespere decidunt, quanto potiori iure credat homo, diuinam

sibi nunquam defuturam prouidentiam? Paucis vt complectar, argumenti vis ostendere vult si Deus tanta sollicitudine lilia albicantia, & rotas puniceas vestiatur & coloret, non est vero simile, illi corporis humani, quod multo illis potius est, curam depositurum, eique de vestimento non prouidendum.

Lilia agri producit, non vero hortorum, quod hæc ab hominibus confita sint & fouentur: illa vero immediate à diuina prouidentia dependant. Videtur autem hoc exemplo Dominus docere voluisse, Deum non de rebus necessariis modo, sed etiam de pulchritudine & ornatu nostro esse sollicitum, adeo vt nostrum non sit de villo laborare.

Quod autem hic parabolice, olim re ipsa demonstrauit: quando Hebræos quadraginta annorum spacio per desertum errantes, quatuor ad sexcenta hominum millia extenderetur, vestimenta ita vt priores vestes, quas ex Ægypto asportauerant, attrita non fuerint, *Vestimentum tuum, ait ipse exprobrans in Deo Deut. 18. teronomio, quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit. Et pes tuus non est subtritus, in quadragessimus annus est.*

Et profecto adeo certa & indubitata hæc De diuina prouidentia est, vt quicumque de illa dubitet, infidelem se quodammodo atque ethnicum demonstrat. Atque hoc etiam infert ipse Christus, *Nobis solliciti esse dicentes, quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur, hæc enim omnia gentes inquirunt.* Dicite mihi, Auditores, an non creditis mysterium sanctissimæ Trinitatis: respondetis haud dubie, credimus. Iterum peto, cuius creditis: quia, dicitis, ita sacra littera docent. Equidem addo, ex eisdem etiam asseri posse, Deum nobis de rebus necessariis prouidere, & de nobis esse sollicitum. Ecce axioma, *No' ite solliciti esse.*

Esdra sacerdos, qui cum Zorobabele populum Iudaicum è captiuitate Babylonica sub initio imperij Cyri reduxit, cum iam in prociectu esset, & iam iam cum vniuerso populo è tyrannica captiuitate egressurus: quamuis infinita quæ in longinquo hoc itinere occurrere poterant, discrimina ac difficultates præuideret, nullum tamen vnquam à Rege Persarum auxilium aut opem petere voluit, eo quod sapius coram illo paternam Dei erga

suos providentiam deprædicasset, neq̄ hac forte petitione aliquod fidei suæ detrimentum adferret. *Erubui*, inquit, *petere auxilium à Rege, quia dixeramus Regi, Manus Dei nostri super omnes qui quarunt eum in bozitate. quam-obrem nolite solliciti esse.*

Vestrum autem est, ex auditis, Catholici, utilitatem elicere, Euangelium hoc præceptoris loco sit, Deoque ex toto corde servite, mûdo valedicite, meminertis deinde, fieri non posse, vt quis duobus seruiat dominis Deo inquam & diuitiis, illas nolite completi, & ab avaritia quam longissime recedite. Cogitate adhæc, ditissimos quosque esse inquietissimos: & suis rebus contentos & quietos, esse ditissimos. Interrogatus olim Epictetus, quis diues inter mortales dicendus esset, ait, *Cui satis est quod habet*: à Socrate etiam cum peritum esset, quis omnium foret opulentissimus, ait, *qui paucissimis contentus est.* Democritus cum interrogaretur, quæ compendiosissima ad diuitias comparandas via esset, respondit, *si cupidum autem pauper fueris: quod qui fuerit assecutus, suis contentus est, & satis habet: qui vero satis habet, & cui sua suffecerint, omnium est mortalium ditissimus.* Fugite itaq; avaritiam, diuitias contemnite, nimiam sollicitudinem exuite, & diuinæ providentiæ innisamini.

Ad hoc scilicet, Euangelium tuum inuitat Domine, hoc etiam facere hodie proponimus, non diffidemus de tua, quam de creaturarum tuarum cōmodo habes, providentia: & sancte iuramus ac promittimus, nullū vnquam dominum præter te admittere, aut agnoscere: pollicemur adhæc ac fide datos obstringimus, in diuina tua providentia semper nos confisuros. Valeant igitur curæ & anxietates de futuro, à liberali tua manu solum omnia necessaria nostra expectabimus. Et quoniam tu, & non alius, tam egregie volucres cœli nutris, quæ neque serunt neque metunt: quoniam lilia agri tanto decore & venustate conuestis, quæ nec laborant; aut nent, maiora haud duplè à te expectamus inquam, toties nos à te nutriendos, vestiendos, quoties opus fuerit. Spes igitur firma quam concepimus, & tua singularis providentia nos exstimulant, vt ad Euange-

lij præscriptum omnia terrena despiciamus, & quæ Beatorum sunt, in cœlesti habitaculo reposita, nancisci mereamur: nihil enim dederit illis, qui regnum Dei ante omnia quaesierunt: ad quod nos deducant Pater, & Filius, & Spiritus S. Amen.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Partitio.

1. De triplici mortis genere.
2. De mortis necessitate.
3. De oblivione & memoria mortis.
4. De more, & honore s. nabri.
5. De exportato defuncto.
6. De luctu viduæ.
7. De excitato defuncto.

Ecce defunctus efferretur, filius vnicus matris suæ, & hæc vidua erat. Luc. 7.

FIGURA.

Celebris ille Propheta Elias, is inquam ^{3. Reg. 14.} Elias, quem coruus esurientem pavit, quique ignem cœlitus aduocavit, quo Deo illas iniurias vindicaret, in Sareptam oppidum, haud procul à mari & Sidone situm, cum veniret: supernaturali quadam potentia, pauperula viduæ filium à morte ad vitam suscitavit: cuius miraculi fama per omnes mox Sidoniorum fines diuagata omnes in admirationem & stuporem rapuit. Hic vero videmus Iesum Christum, quem vt Eliam Iudæi suspiciebāt, Naim oppido tribus. Hāchar, haud procul à Capharnaum, appropinquantem; adolescentem filium vnicum matri suæ resuscitantem: quo miraculo omnes Galilææ vrbes percussæ & erectæ, Christum vt hominem cœlo lapsum suspexerunt. Propheta puerum excitatum sospitem & vegetum matri reddidit: etiam Christus: quæcum velut ab inferis prodeuntem amplexa est. Eadem vtrobique circumstantiæ, & inter vtumque sympathia singularis: vtrobique filii: vidua hic, vidua & illic: mortuus in Sarepta, mortuus in Naim, ad vitam redit, miraculum.

Philosophorum apophthegmata.